



176.

1. Ho

nu

2. Ho

su

3. Ho

f

1764

1. U

a

s

2. Ho

n

ci

3. Ho

4. Ho

a



s. 1273.

3, 4. 58.

1767/6.

25

DE
R E M E D I I S
 A D V E R S V S
S E N T E N T I A S
REVISORUM CAMERALIUM
 A U C T O R I T A T E
 I L L U S T R I S I C T O R U M O R D I N I S
 P R O M V N E R E
P R O F E S S O R I S I U R I S
 E X T R A O R D I N A R I I
 C L E M E N T I S S I M E S I B I D E M A N D A T O
 D I S P U T A B I T
I O A N N E S D A N I E L
H O F F M A N N
 P H I L . E T I U R I S U T R I U S Q U E D O C T O R
 R E S P O N D E N T E
C A R O L O C H R I S T O P H O R O H O F A K E R
 I U R I V M C A N D I D A T O

Ad diem XXIV. Aprilis MDCCLXVII.

TUBINGAE LITTERIS FVESIANIS.



DE
R E M E D I S
A D V E R S U S
S E N T I A S
R E V I S O R U M C A M E R A L I U M
A U C T O R I T A T E
M A G I S T R I R U M O R D I N I S
P R O M A G I S T R I
P R O F E S S O R I S I U R I S
E X T R A O R D I N A R I I
C O N S T I T U T I O N E M S E N A T U S
D I S T R I C T U S
I O A N N E S D A N I E L
H O T T M A N N
P H I L O S O P H I C E D O C T O R
M A G I S T R I
C A R O L O C H R I S T O P H O R O H O F M E Y E R
I U R I S C A N D I D A T O
M D C C C L X V I
T Y B U R G E M I S T R I C A M E R A L I S





§. I.

*Aduersus sententias in supremo Camerae imperialis
Iudicio latis, omni tempore quaedam in
usu fuerunt remedia.*

Romani sententiis iudicum & magistratum suorum,
maiorum praesertim, maiestate a) praedictorum,
nescio quid diuini inesse putabant. Credebant
eas immutabiles propemodum & irrefractabiles.
Imo legalem fere efficaciam illis tribuebant. Vnde M. T.
CICE-

a) *L. II. in fine de I. & I. L. 9. de iurisdictione. IVSTVS HENNIN-
GIVS & IO. SAMVEL BOEHMERI in Diss. de maiestate im-
perii magistratum maiorum, Halae 1725. ed.*



CICERO b) *magistratum recte legem loquentem* appellauit. Longe aliter sapiebant Germani, magnam quidem at non tantam sententiis iudicum, etiam superiorum, auctoritatem adscribentes, ut non saepius ab illis prouocare licuerit. Majorem hac in re, uti libertatem, ita aequiorem etiam prudentiam, spirante eorundem ingenio. Omni enim aetate sedulo curabant Germani, ne tam magistratibus facultas sententias retractandi, quam reis nouis aliquoties defensionibus iura sua persequendi deesset occasio. Non solum ideo foranostra hodie tot perstrepunt aduersus sententias, variae indolis remedia, iuri & iudicio Romano prorsus incognita. Verum hodiernum etiam de antiquissima illa Germanorum licentia constat, iudicibus & sententiis illorum male quidem, sed uel in continenti, uel primo saltem die, dicendi, atque ab illis ulterius prouocandi. c) In qua hoc unum

b) In princ. L. III. de Legibus.

c) Conf. 10. GOTTL. HEINECCIJ *Elementa iuris Germanici* L. III. tit. 7. & 8. III. GE. LVD. BOEHMERI *Disp. de prouocationibus iuris Germ.* Hal. 1798. FRID. ESAIAE PUFENDORF *tr. de priuilegio de non appellando* 8. Hannov. 1730. & de iurisdictione Germ. liber, Lemgov. 1740. 8. 10. LEONH. HAVSCHILD *von der Gerichtsverfassung der Deutschen, von VIII. bis zum XIV. saeculo*, Leipz. 4 1741. §. 41. seq. LEOP. NIC. L. B. AB ENDE de fatalium rigore iniquo, poenisque contumaciae temperandis, Halae 1737. C. V. p. 267. 10. JAC. SORBERI *Diff. de natura & indole remedii deuolutiui appell.* in Germania, Ien. 1746. Cap. I. de usu atque praesstantia adpellationum penes ueteres Germaniae populos. §. 1. 15. & imprimis, qui omnes facile superat & longo post se intervallo relia-

* * *

unum forsan ab usu penitus recessit, quod utrum in sententia illis pronunciata adquiescere, an uero ab illa prouocare uellent. interrogari debuerint. Neutrum facientibus & iudicia scabinorum, hi enim proprie sententiam inueniebant, neque diserte adquiescentibus, neque illud *blasphemare* uolentibus, in custodiam recludendis, donec unum e duobus facerent. d) Nec ab uno saltem iudice & magistratu ad alium, sed ad ipsum quoque uel tandem Regem, e) saepius pro tribunali sedentem, & concilium f) causas iudicarias deuoluere semper licuit maioribus nostris. Nec inter inferiores modo

relinquit perill. L. B. de SENCKENBERG in der Abhandlung der wichtigen Lehre von der kays. höchsten Gerichtbarkeit in Deutschland, 4. Ff. 1760. praef. §. 3. 16. & tr. §. 37. 60. 84. 113. & 134.

- d) In Capitulari II. de anno 805. & in Capitul. L. III. Cap. 7. & L. V. cap 249. in P. GEORGISCH Corpore Iuris Germ. antiqui col. 1466. & in LL. Longobard. L. II. tit 53. §. 23. ibid. B. CHRISTIANI HENR. ECKHARDI Commentatio de interrogationibus in iure apud Germanos, Ien. 4. 1737. §. 16. 17. p. 25. sq. & Perill. L. B. de CRAMER in denen Wezlar. Nebenstunden, P. II. n. V. §. 1. p. 17.
- e) V. Illustrissimi Comitum de BVAT Origines, ou l'ancien Gouvernement de la France, de l'Allemagne, & de l'Italie. Tom. III. Liv. XI. Chap XII. p. 409. & III. 10. HENR. HERMANN Bestimmung des wahren Ursprungs des kaiserlichen Reichs-Hofraths 8. Leipz. 1760. §. 12. p. 31.
- f) III. GE. CHRIST. GEBAVERI Vestigia Iuris Germanici antiquissimi in Taciti Germania, Goett. 1766. Diss. VI. XIV. & XVII.

✻ * ✻

modo iudices mos ille, easdem causas iteratis vicibus in iudicio tractandi frequens erat olim, sed & ad suprema quaeuis Germaniae tribunalia penetrauit.

Iam ea fuit primi Imperatorum *Iudicii Aulico-Cameralis*, ante conditam Cameram, siue & *Curiae & Camerae* iudiciariae facies, ut contra earum iudicata varia ipsemet usus concederet remedia. Leuterationis puta, nullitatis & restitutionis in integrum ab Imperatore olim subinde efflagitatae. g)

Quid quod ne ipsa quidem a iudicijs illis imperii ad Caesarem & Status appellatio, uel si mauis, recursus ad Comitiam, tum temporis haud plane incognitus fuit. h) Licet uero deinde, sancita pace publica, stabile, fixum & perpetuum constitueretur iudicium, CELSISSIMAM puto CAMERAM, quae gloria MAXIMILIANVM I. etiamnum manet; & licet haec supremum tribunal (*das oeberste, endlichste, boechste, und letzte Gericht*) diceretur, omnisque diferte remoue-

g) Probationes huius rei larga manu dabunt nouissima, omnibusque notissima scripta SENCKENBERGIANA & HARPPRECHTIANA, e. gr. *Observationes uariae de Iudicio Camerali hodierno*, Vindobonae 1764. 8. ed. §. 110. pag. 28. sq. Lit. F. pag. 71. sq. & X. pag. 130. sq. & *Cammergerichts-Archiv* P. I. I. Stük, §. 162. p. 91. & §. 171. p. 93. & Num. XXIII p. 128. sq. 10. BALTH. ELVMIO in tr. de iudicii curiae Imp. Germanico C. V. §. 42. 47. & §4. adhuc incognitas.

h) P. II. II. Stük. §. 25. p. 42. & Num. LXXI. pag. 197. sq. Adde §. 83. p. 83. & p. 537. 538. 549. 552. *des Cammergerichts-Archiv*.

moueretur ulterior iudicialis adpellatio; nunquam tamen illa
 eis superior iudicata fuit remediis contra sententias, quae
 tum praecipue nihilominus locum habent, quum omnis pe-
 nitus praecclusa est adpellandi facultas. Quibus pariter re-
 mediis, adpellationis ad instar, uictis in iudicio adhuc suc-
 curritur, quaeque non minus iteratas contra eius pronun-
 ciata producant instantias. Putabant quidem huc usque
 omnes, nouiore ipsaque Camera iuniore paullo praxi, demum
 sensim sensimque talia remedia etiam contra sententias Ca-
 merales introducta fuisse, ab initio inde ne cogitata quidem,
 multo minus scriptis plane, quod adhuc ferius contigerit,
 firmata legibus & ordinationibus, ante annum 1532. nullius
 plane eiusmodi remedii mentionem facientibus. Eodem ta-
 men illo anno & mense, cui hodierna Camera natales suos
 debet, Augusto, 1495. contra sententiam ab ea latam, ci-
 tatio pro restitutione petita, sed &, quod non dissimulan-
 dum, secundo Decembris die tunc temporis (*für dismal*)
 denegata fuit. Debemus huncce insignem historiae rei iudi-
 ciariae Imperii profectum Viro de illa omnium longe meri-
 tissimo, Perillustri IOANNI HENRICO L. B. de HARP-
 PRECHT, eiusque omnia antiquitatum cameralium sacra
 recludenti operi, nuperrime continuato, in quo uaria intra
 annos 1495. & 1530. occurrentia nullitatis, restitutionis in
 integrum, & recursus contra sententias camerales exempla
 leguntur. Neque id adeo mirum. Cum enim permulta
 tum ex ueteri in iudiciis Germaniae procedendi ratione, tum
 ex ipsius quoque iuris communis usu, in nouiorem procef-
 sum cameralem migrauerint, non potuit non fieri, quin &

remedia illa, quae dixi, diu ante legalem eorum receptionem ipfomet usu adhibita fuerint. Profundum illud primarum ordinationum Cameralium ullius eiusmodi remedii silentium, contra totalem horum non usum nihil quidquam probat. Quia I.) illae perbreues sunt, & multa alia, silentio praeterita, pro genio Germanorum iuridico, usui & consuetudini reliquerunt. Quia II.) talia olim & antea usitata fuerunt remedia, quia III.) nunc exempla in contrarium prostant, quia IIII.) iactis licet iam anno 1532. syndicatus atque reuisionis fundamentis anno 1555. sanxerit Ordinatio cameralis, „daß kein theil weiter zu appelliren oder zu suppliciren macht haben solle“, & quia denique V.) leges & ordinationes hodiernum v. g. declarationis sententiae remedium, si quod est, penitus tacent, in praxi tamen & libris iuris cameralis longe frequentissimum & utilissimum.

§. II.

Paullo nouius tamen atque recentius est remedium contra sententias camerales, quod revisio dicitur.

Idem hoc quoque eius remedii historia ulterius confirmat, quo solo hodie & fere unico sententiae Camerales directo impugnantur. Reuisionis nempe, expressè demum ordinatione Camerali de anno 1548. nouissimaque de anno 1555. a) stabilitae, & Recessu Imperii nouissimo curatius ordi-

a) P. III. tit. 53. R. D. 1557. §. 23. Rec. Imp. de anno 1559. §. 52. sqq.

ordinatae. Nihilominus tamen iam diu antea fuit usitata. Latuit namque sub syndicatu, a quo deinceps magis distinguebatur, in Reecessu Imperii de anno 1532. b) imo forsitan etiam in protocollo comitali de anno 1518. c) Et grauatorum, actorumque reuisionem (*Besichtigung*) petentium diserte meminit Reecessus Imperii Norimbergensis de anno 1524. d) Imo memorabile prorsus reuisionis cuiusdam Cameralis in caussa quadam Coloniensi vestigium in sequenti protocollo comitali de die 1. Maii 1512. legitur, e) digno prorsus quod huc transcribatur: „*Wüer so haben die Stende*
 „*das Concept K. Maj. auf anrופן der Stadt Cöln ans Cam-*
 „*mergericht ausgangen, die fiscalische Handlung betreffend,*
 „*vernommen, und dieweil K. M. und der Stende Rette die Ge-*
 „*schikte der Stadt Cöln, auch des Cammergerichts Gesandten,*
 „*verhört, und der Stende Rette vur billig angesehen, und er-*
 „*messen haben, das zu notturfftiger entschließung dieser Sach zu*
 „*furders gut und furtraglich sy, das zu samt vurbeschreyen*
 „*schriftlichen vurbracht die Acten besichtigt werden, wie*
 „*darin gehandelt, und worauf geurthelt sy &c. das lassen*
 „*ihnen die Stende auch wohl gefallen, hallten dafür das solches*
 „*den*

sqq. 1566. §. 79. sq. 1594. §. 100. 1598. §. 62-66. R. D. 1600.
 §. 144. 146. R. I. N. §. 124-133. Conc. Ord. Cam. P. III. tit. 63.
 Capitulationes tres nouissimae, Art. XVII. §. 2-17.

b) Art. III. §. 16. 17.

c) In Archivo Camerali, P. III. p. 166.

d) §. 23.

e) In eadem Archivi P. III. p. 107.

„den Sachen dienslich und forderlich sy: sint auch neben K. Maj.
 „ausgangen Schrift willig dem Cammergericht zu schreiben dry
 „Wochen ungeverlich still zu stehen, damit die Acta und andere
 „obgemeit mittlerzeit wie obstet, besichtiget, und wo nott syn
 „werde, das Cammergericht und andere der Sachen verwant
 „witer gebört, und der Billigkeit entscheid gegeben werde.“

Vnde simul adparet, quod reuiso haec ipsa Iudicii Camera-
 lis Visitatione, si non antiquior, ad minimum tamen coeua
 & quod ab initio cum hac non statim adeo coniuncta fue-
 rit illa. Visitationis namque prima fundamina iacta sunt
 anno 1507. f) & 1521. g) Et reuisionis negotium Visitatori-
 bus quoque demandatum fuit in Recessu Imperii de an-
 no 1533. h) Hinc ergo reuisionem postea quoque & in
 hunc usque diem eadem fere cum Visitatione Camerae fata
 habuisse, ulterius diducere, & priscas desuper querelas reno-
 uare, nil attinet. Dicam potius, quid reuiso illa sit, de
 qua mihi sermo. Est autem reuiso remedium nouioris iuris
 Germanici aduersus sententias camerales, iis, qui se ex er-
 ronea caussa uel tractandi uel decidendi ratione grauatas
 esse putant eo competens, ut acta denuo a Visitatoribus Ca-
 merae, siue ordinariis, siue extraordinariis, perlustrentur,
 & sublati grauaminibus noua ab his feratur sententia. Alia
 itaque pro diuersitate ipsius Visitationis cameralis est ordi-
 naria, alia extraordinaria. Haec uel omnibus, uel plurimis
 certe

f) R. I. Constant. 1507. tit. 14.

g) O. C. Wormat. Art. V.

h) §. 17.

certe caussis communis, uel uni soli propria. Cuius exemplum prorsus exemplum Monasteriensis Erbmannorum causa sub initium huius seculi praebuit. Alia porro reuifio sententias Camerales uel confirmat, uel reformat. Et utrumque hoc quidem, uel in totum, uel in tantum. Maximam illa cum adpellatione similitudinem habet, ipso R. I. N. i) stabilitam. Obtinet illa saltim contra sententias, minime uero, quod singulari eaque perdocta dissertatione demonstrat, *Consultissimus Dn. D. PHIL. IAC. RASOR k)* contra decreta Camerae extrajudicialia. Est illa remedio ordinationis, est omnibus regulariter commune, siue uniuersale, est adpellationi subsidiarium, & tamen, si placet, extraordinarium. Tam apud Electorem Moguntinum, quam deinceps etiam in Camera, sollicito obseruatis omnibus ejus solemnibus & fatalibus, rigorosis & lugubribus, introducenda. Actu tamen ipso illa non suscipitur, quam si Camera uisitetur. Adeo, ut in extraordinaria quoque, secundum nouissimum Recessum Imperii, 1) donec ordinariae restituantur, instituenda Visitatione Camerali, XXIV. subdelegati Statuum Consilarii in quatuor senatus uel partes dispescantur, unico saltem proprie sic dictae
 Vifi.

i) §. 125. *Add. O. C. P. III. tit. 53. §. 5. C. O. C. P. III. tit. 63. §. 13.*

k) In *Disp. de remedio reuifionis aduersus decreta extrajudicialia*, quibus processus, speciatim uero adpellationis, in augustissimo Camerae Imperialis Iudicio denegantur, locum non habente, Giesse 1752.

l) §. 130.

Vifitationi camerali, inquisitioni in naeuos & defectus iudicii eiusque ordinationum, perfonarum cameralium examini, rationumque redditarum iustificationi, tribus uero reliquis caufis reuifionis cognofcendis unice fic deftinatis, ut fecundus & tertius antiquiores, quartus uero nouiores reuideat. m) Quamprimum itaque conueniunt Reuifores, praeuia folemni panegyri, peracta legitimatione, praestito a non recufatis iuramento, collectis & cuique fenatui distributis actis, quorum reuifionem fe profequi uelle, rite antea & Moguntino & Camerae fignificarunt reuidentes, perluftratis taxatisque illis, depofita a quouis reuidente pecunia fuccumbentiae, aperto & communicato reuifionis libello, exhibitis exceptionibus, plura enim duobus non admittuntur fcripta, totam caufam, adhibitis fimul impugnatae fententiae auctoribus, uel certe mortuorum relationibus, caufam illi denno traftant, & foli uel reuifouem plane denegant, uel fententiam illam cameralem confirmant, pecuniam fuccumbentiae confiscantes, & reuidentis temeritatem coercentes, uel reformant, pecuniam fuccumbentiae uiftori reftituentes, femper uero cauffam ad Cameram, executionem quoque, fi ea adhuc opus, remittunt. Id quod ex folis prioribus actis, nulla prorfus habita ratione ullorum nouorum, in fingulis fenatibus, fecundum pluralitatem uotorum, noua fententia fieri folet, uel confirmatoria, n) uel reformatoria. o)

§. III.

m) Cap. Caef. nouiff. A. XVIII. §. 8 9. p. 76. 77.

n) Velut die 10. Maii 1587. in c. V. c. V. in 10. REICHSNERI P. III. Dec. XVI. p. 406. & de die 3. Iulii e. a. in c. N. c. Tr. apud RODINGIUM L. IIII. tit. 61. §. 97. p. 798.

o) Velut die 27. Iunii 1583. in c. B. c. O. und S. c. F. in Corp. iuris Cam. Francof. num. 273. p. 408.

§. III.

Thema tractandum proponitur.

Cum igitur toties ab omnibus Germaniæ ciuibus, ipsaque cum maxime Camera, exoptata proxime instare uideatur Visitatio Camerae, eamque eo ardentius exspectet Germania, quo major est aetas & numerus caussarum reuisionis, quae iam inde a remotis temporibus indecisae iacent, & quarum tamen exitum & finem tot litigantium partes anhelant, uel faustum ipsis, uel sinistrum: non incongruum, nec inamœnum fore existimaui, si quaestionem, sese sponte ueluti offerentem, paullo altius excuterem: An finito reuisionis negotio, nullum amplius remedium contra reuisorum illorum cameralium sententias locum habeat? siue, utrum eorum sententiis praecise & abscisse standum, inque eorum iudicio, quomodunque illud ceciderit, penitus adquiescerendum sit victis, an uero grauatis ulterior quaedam parari possit medela?

§. IV.

Dubia quaedam generalia ingenue proponuntur.

Absolute quidem neganda esse uidetur haec quaestio. Quis enim I.) illam proponenti non statim occineret tritum illud; quis tandem litium finis! Anne sperari hodie posset aliis litis Cameralis finis & totalis exitus, si ultra & contra

reuisiōem noua adhuc suppeterent remedia. Nonne haec ipsa reuisio tanquam extraordinarium ualde, omnium ultimum, iam contra inadpellabile & supremum plane iudicium concessa fuit? Anne igitur possibile, ulterius quoddam contra illam cogitare remedium? Vbinam II.) lex illa, quae tale aliquod concedit & permittit? Vel licetne Iureconsultis talia contra sententias supremi cuiusdam tribunalis remedia, absque lege, absque sanctione & concessione legis cuiusdam publicae expressa effingere? Imo annon leges nostrae III.) omnem supplicationem & adpellationem iam contra sententias camerales, ne dum reuisorias, diserte prohibent? Ipse AVGVSTISSIMVS spondet, quod Cameram quouis modo manutene, quod ei nullam prorsus remoram iniicere, uel ut a quopiam alio iniiciatur, pati, quod nullos processus & caussas ab ea auocare, quod nemini ullam in sententias & iudicata Camerae ulteriorem cognitionem permittere, quod sententias eius potius promptissime exequi, quod res iudicatas contra omnem infractionem & violentiam tueri uelit. a) Anne clarissima IV.) sunt, & negatiuam huius quaestionis diserte continent sequentia cum I. P. W. O. b) „*Quae uero iudicis sententia definita fuerunt, sine discrimine statuum, executioni mandentur, prout Imperii Leges de exsequendis sententiis constituunt, tum Capitulationis uerba: „was auch*

a) Cap. Caes. A. XVI. §. 7. 8.

b) A. XVII. §. 7.

„auch einmal in erstgedachtem Reichs-Hofrath oder Cammer-
 „Gericht in iudicio contradictorio cum debita causae cognitione
 „ordentlicher weise abgehandelt, und geschlossen ist, dabey solle
 „es forderst allerdings, verbleiben und nirgend anderst es sey
 „dann durch den ordentlichen Weeg der in offi bemeldtem
 „Friedensschluß beliebter, und nach dessen Art. 5. §. quoad pro-
 „cessum iudiciarium anstellender Revision oder Supplication von
 „neuem in Cognition gezogen“ &c. Deinde V.) Reuifores
 non tam iudices esse, proprie tales, nec singulare & supe-
 rius quoddam iudicium formare, nec a suprema iudiciaria
 Imperatoris & Statuum potestate ad iudicandum constituti
 videntur.

Illi potius commissarii, & delegati Imperatoris &
 Statuum consilarii videntur, per quos Caesar & Imperium
 non tam *iudiciariam potestatem suam*, quam potius *supremam*,
 in rem iudiciariam totius Imperii *inspectionem* exercent, & in
 quas uelut in extremam prouocationem & supremam rerum
 omnium analyfin partes ipsae compromiserint. Et si denique
 VI.) iudicarent proprie, iudicarent sane *ultimo* Imperatoris
 & Imperii, quos representant, nomine, ultra quos quis no-
 uam fingeret prouocationem?

§. V.

Sed & libere respondentur.

Sunt hæc omnia, fateor, fatis speciosa. Interim ta-
 men me nondum a proposito deterrent, cum partem ueritate,



partem necessaria consequentia desituantur, & subinde, cum nimis probarent, nihil probent. Sic statim omnium minime metuo primum, sua sponte penitus corruens. Si quidem vel immortalitati litium aliquid addi posset, foret hæc personarum & processuum potius, quam ultimorum ejusmodi remediorum, æque celeriter finiendorum, uitium. Facilem uiginti & triginta annos durare usque ad reuisionem. An non credis? illum prius multo tum quoque terminari potuisse, cum ultra reuisionem noua peragenda fuerit instantia? Si nempe in omnibus processibus instantiis, & in ipsa præsertim reuisione, cum IUSTINIANO a) & IOSEPHO II. b) celeritas litium dirimendarum curæ cordique haberetur, lites, etiam suppositis contra reuisionis sententias remediis, non fierent pæne immortales, nec uitæ humanæ modum excederent. Defectum legis alicuius & textus expressi is non urgebit, qui nouit quantas in omni iurisprudentia partes habeat & legum analogia & obseruantia, & quantam in hac præsertim iuris parte tyrannidem exerceat praxis. Omnia contra sententias camerales remedia prius in *usu* fuerunt, quam in *legibus*. Omnia illa demum e consuetudine & praxi in leges & iura migrarunt, e iure non scripto, in scriptum translata. Tertium & quartum ipsam quoque reuisionem tollerent, si concluderent, ipsam Capitulatione Cæsarea non amplius odiosam. Quinto negari minime potest, quod Imperator & Imperium reuidendo sententias camerales non simul quoque, una cum supremâ in-

a) In L. 13. C. de iudiciis.

b) In Capitulatione sua Artic. XVII. §. 2. p. 73.



inspectione, iudiciariam suam potestatem exercent, quod reuifores, qui tamen sententiam cameralem uel confirmant uel reformant, nouamque ferunt, non sint iudices ueri & proprie tales. Reuifio enim remedium est, & reuiforium est iudicium. c) Ultimam eodem sensu & ambitu de ipsamet quoque Camera prædicari potest, contra eius tamen sententias nihilominus non unum saltem comparatum est remedium. d)

Quis deinde negabit a commissariis ad committentes, a delegantibus ad delegatos subinde prouocari, recurri, uariarumque pro re nata institui posse remedia. Nonne committentes alios rursus commissarios mittere, & delegantes alios rursus delegare poterunt, causam eodem illo supremo committentium & delegantium iure & nomine iterum tractantes & recognoscentes. Interest horum quam maxime, ut hoc semper possint, non quidem contra rem iudicatam uere talem, at tamen contra sententiam, contra quam alterutra pars queritur, non quidem extra ordinem & ex plenitudine ueluti potestatis, sed per legitimos potius tramites, & remedia legibus conformia. Nemo enim, quisquis ille etiam sit, ita summum ac merum imperium obtinere debet in ciuitate, ut non ab eo ad ipsum summum Principem prouocari possit. Prout MÆCENAS AVGVSTO apud DIONEM CASSIVM e) consuluit.

c) GAIJ L. I. Obs. penult. n. 1. & ult. n. 6. CODINE L. III. Tit. Pandect. Cam. LXI. §. 4. & 17.

d) R. I. N. §. 165.

e) L. II. p. 487.



luit. Ipsa tandem remediorum contra sententias, quæ maxima est, diuerſitas, amplissimum omnibus ferme dubiis respondendi fontem aperit. Possunt illa uariis modis, ratione causæ, summæ, temporis, formalium, pœnæ, specialis fundamenti & effectus præsertim sic restringi, ut dein, ubi adhucdum locum habent, magis profint, quam noceant. f) Potest eadem causa, uel eidem iudicio denuo tractanda relinqui, uel ad alios saltem referentes, senatus, nouasque deputationes deuolui. Quid plura! Executionem sententiarum cameralium hodie regulariter non amplius remoratur reuifio. g) Ergo eam quæ non magis impediunt, quæ contra reuifionem forſan competunt remedia, celeritatem cursus iustitiæ non impediunt, sed huius potius administrationem eo exactiorem reddentia.

§. VI.

De remediis proprie talibus quæritur? Non igitur I.) de amicabile compositione.

Varia quoque uago & improprio remediorum nomine subinde uenire solent instituta, ueluti *protestationes*, a) *impugnationes*, b) quæ proprie talia non sunt, & de quibus hoc loco
pro-

f) Ill. 10. STEPH FVTTERI D. de querelæ nullitatis & adpellationis coniunctione, Goett. 1759. Cap. I. De instantiis & remediis in genere.

g) R. I. N. §. 124. & Cap. Cies. A. XVII. §. 2.

a) MEVIUS P. II. dec. 33. & LYNCKERVS de grauum. extraiudic. Cap. IX. P. 2. §. 3.

b) Quas remedia est plane negauit Perill. L. B. de CRAMER in Obseru. 1250. T. IV. p. 776.

proinde etiam non adeo quaeritur. Ad id enim, ut remedium aliquod proprie tale & contra sententiam quandam competere dici queat, absolute neceffe est, ut sententiam ipsam eiusque contenta directo impugnet, grauaminis a iudice per illam illati abolitionem, ipsius sententiæ mutationem & reformationem sicque reuera *nouam* sententiam intendat.

Id quod de *amicabili compositione* & transactione nullo modo dici potest. Eius tentamina leges & ordinationes Camera nullibi quidem diserte iniungunt, at nec prohibent, ei sic eodem ac iudicio imperiali aulico c) modo permiffa quidem, at non tamen aequae frequentia. d) Quia uero transactione litem aequali modo praecedere ac subsequi, imo in quavis iudicii parte institui & in ipsa executione adhuc a partibus iniri potest; & quia illam ante omnia tentandi necessitatem Reuiforibus Cameralibus Recessus Imperii nouissimus e) iniunxit: illam non tam *aduersus*, quam *post* reuiforias quoque sententias locum habere, tentari & institui posse, neutiquam ambigendum esse puto.

§. VII.

c) In ipso etiam reuiforio. III. IO. IAC. MOSERVS de reuifione, sect. IX. §. 15. p. 479.

d) Conf. IO. FERD. GVIL. DE BRANDT in peculiari hunc in finem scripto tractatu: de amica inter litigantes compositionis tentatione. Wezlariae 1756. Vbi simul praeiudicia, quamuis rariora, tentatae a Camera transactionis adduxit. Et add. Perill, L. B. de CRAMER in Obseru. L. II. Obf. 47.

e) §. 130.



§. VII.

Nec II.) De Declaratione Sententiae reuiforiae.

Qua ratione itaque sententiae declaratio inter remedia referatur, perspicuum plane est. a) Usu tamen fori, aduocatorumque saepius artificio inualuit, ut sententiarum cameralium declarationes, elapso etiam decennio, ualide adhuc interponantur, atque rei iudicatae effectus, quem alias fortitur sententia, suspendatur. Hinc igitur factum est, ut declarationis eiusmodi petitio ualde improprie remedii nomen adpta sit, quae alias hoc nomen uix meretur.

Nihil autem tam naturale est, quam ut sensus sententiae dubius, obscurus uel ambiguus, qui ex actis facile corrigi nequit, ab ipso iudice qui sententiam tulit, tanquam optimo uerborum suorum interprete, declaretur. Qualis declaratio, propter stylum Camerae perbreuem & obsoletum, certe exterorum ratione habita, plane necessaria est, nec infrequens. Quae cum omnia sane Reuiforum sententiis haud frustra applicari possint, nullis implicatur dubiis, quin & argumento sententiarum cameralium, petita declaratio sententiae reuiforiae, dubiae forte uel obscurae, quae exitum alias habere nequit, locum inueniat iure meritoque.

Quid uero tunc statuendum sit, si declaratoria eiusmodi sententia plus contineat, quam praecedens? adpellationem

a) Perill. L. B. de CRAMER, in: *Observ.* T. IV. Obs. 1204. p. 234.

nem in hoc casu admittit MEYIVS. b) Res enim tunc vere in statum sententiae reformatoriae incidit, & si quodam uerum grauamen per hocce sententiae supplementum uel additamentum partibus inferatur, remedia quoque, si quae competunt, contra reliquas reuiforum sententias, his sententiis non erunt deneganda.

§. VIII.

Nec V.) de transmissione ad impartiales.

Ex ipsis reuifionis principiis, contra sententias reuiforias, *transmissio* actorum ad impartiales, absolute locum habere potest nullum. Eo enim ipso, dum reuifionem ponimus, sine qua nulla sententia reuiforia cogitari potest, illud certe transmissionis beneficium oppido excludimus, quod Reecessus Deputatorum de anno 1600. a) & R. I. N. b) appellationi & reuifioni ob summam non adpellabilem & non reuifibilem substituit, & cuius intuitu *Facultates* & Collegia Iureconsultorum, ad quae acta transmittuntur, uera tribunalia & iudicia reuiforia esse, acute obseruauit perill. L. B. de CRAMER. c) Aduersus reuiforias autem sententias transmissio non magis ac

b) P. I. Decis. 109. conf. de LVDOLF in Comm. Iur. Cam. system. S. 2. §. 14. Membro I. p. 151.

a) §. 18.

b) §. 113.

a) In Obseru. 1216. Tomo III. p. 663. 664.



ac quidem statim post & contra sententiam cameralem obtinebit. Alia quaestio foret, si reuifores non ipsi sententiam ferre, sed eam ab aliis Iureconsultis concipi uelint, arbitrio eorum & potestati *substituendi* d) unice relinquenda.

§. IX.

Nec III.) de Syndicatu.

Quodsi unquam de *syndicatu* quoque contra sententias reuiforias salua reuerentia a) cogitari possët; Imperatoris & Statuum arbitrio hoc iudicium penitus relinquendum foret. Nec is tamen uerum quoddam remedium contra illas & proprie tale dici possët. Cum, non nisi dolum & corruptionem reuidentium uindicando, minime ad *reformationem* ipsius *sententiae* reuiforiae, sed unice saltem ad *aestimationem litis*, non ab altera *parte*, sed ab *eo*, qui dolo iudicauit, consequendam, salua ceteroquin & immutata sententia, tenderet. b)

§. X.

Nec de aliis, quam contra camerales etiam sententias competentibus, remediis, ueluti IV.) Querela nullitatis.

Quodsi uero etiam remedium aliquod, uere et proprie tale esset, nec tamen contra sententias camerales locum habe-

- d) III. GE. DAV. STERN in der *Abhandl. von der Visitation des Cammergerichts* §. 8. p. 13.
 a) FACO DE VERVLAMIO de certitudine leg. aph. 97. „*Et iudicia, si fo te rescindi necesse sit, sepeliantur cum honore.*“
 b) III. GE. LVD. BOEHMERI *commentatio de remedio syndicatus aduersus sententias camerales*, Goett. 4. 1744.

haberet, illud hic omnino, quocunque deinceps nomine ueniret, quocunque fundamento niteretur & quocunque effectu gauderet, pariter, sicuti hucusque impropria, remouendum atque excludendum foret. Omnis enim legum & ordinationum aequae ac praxeos & obseruantiae analogia illud tunc deficeret prorsus. Cum deinde Reuifores secundum priora modo acta, eaque sola, iudicare debeant, cum porro eisdem cum cameralibus legibus & iuribus, ordinationi praefertim camerali, a) adstricti sint, cum denique reuiforius processus sic necessario idem cum camerali esse debeat, de aliis quibuscunque, sed contra sententias camerales non competentibus remediis, sollicitus esse nollem. Noua namque aut in eo, de quo quaestio est, uel simili, eique analogo iudicio inusitata remedia fingere nemini omnino licet. Hinc penitus, ex unica hac, sed sufficiente ratione, quod nec contra sententias camerales principaliter admittatur, sed statim, multato procuratore, reiciatur, excludo *querelam nullitatis*, b) Germanis, ceu singulare & ab adpellatione distinctum remedium, ante Ius Romanum, minime cognitam. c) Teste uero implicite & incidenter quasi concurrere posse hancce querelam, praxeos cameralis analogiae non contrarium esset. d)

§. XI.

- a) BENDER de Reuifione, concl. XVIII. n. 48. RÖDING L. III. T. LXI. §. 4.
 b) Ill. de ZWIRLEIN ad C. O. C. P. III. tit. 63. §. 17. p. 598. III. Dn. D. TAFINGER Sect. IV. §. 1064. n. f)
 c) Cel. FRID. ES. PVFENDORF in Tr. de priuilegiis de non adpellando, Hannou. 1730. 8. §. 25. p. 107.
 d) Celeberrimus IO. ANDR. HOFMANN in der teutschen Reichs-Praxi III. Th. §. 2406. p. 214.

C 3

§ XI.

Sed potius § I.) quidem de restitutione in integrum.

Ne ipsa quidem *restitutio in integrum*, quae contra sententias camerales, cum in legibus a) conceditur, tum hodie indies frequentior, ceu mitius, minus odiosum & ordinarium b) remedium adhiberi solet, priorem sententiam cameralem directe impugnat, sed potius uel tacite concedit, ex prioribus actis recte iudicatum fuisse. Ea enim saltem petitur, ut nunc propter noua prolata, aliter pronuncietur. Cum uero sic nihilominus prioris sententiae *reformatio* intendatur, *nouisque illis priora* iterum iungere liceat, suo merito illa huc pertinet, & singularem in ordine ad sententias reuiforias disquisitionem meretur.

Initium faciamus a restitutione I.I. contra lapsum fatalium reuifionis. De quibus Camera, & an illa admittenda sit, cognoscit ipsa c), sicque sententiam uel deuolutoriam fert,
uel

- a) Rec. Visit 1533. §. 5. O. C. 1555. P. III. tit. 52. R. D. 1600. §. 138. C. O. C. P. III tit. 62.
- b) Conf. 10. BERNH. HASE Diss. (quae etiam SENCKENBERGIANO nomine allegari solet) de R. I. I. aduersus sententias summorum Imperii dicasteriorum remedio ordinario, Gisse. 1743.
- c) Formalium cognitionem in reuifione Camerae competere extra dubium positum est. An uero quoque de materialibus iudicare possit, vid. ill. FRID. WILH. TAFINGER in Instit. I. Cam. S. IV. T. 6. §. 1054. n. a) pag. 888. Per illustris L. B. de CRAMER in Observ.

uel non deuolutoriam. Sin igitur quadrimestre illud interponendae apud Electorem Moguntinum, & in Camera deinceps iudicialiter introducendae reuisionis fatale praeterlapsum fuerit, ipsam deinceps reuisionem, iure meritoque reiciendam esse statuunt Domini Camerales, nullam quoque contra hunc lapsum fatalis Restitutionem I. I. concedentes. Licet alias in genere detur restitutio fatalium, uel, quod aiunt, breui manu, uel praeuia citatione d). An eadem uero haec restitutio contra lapsum fatalis interponendae reuisionis continuum e) statui possit, adhuc quaeritur? Negat id talemque restitutionis petitionem tanquam informem & stylo cameralei contrariam reici adfirmat *Per-illustris* L. B. DE CRAMER f),
 ex

seru. Iur. univ. T. II. p. II. p. 231. ibique alleg. Decretum Camerae commune die 15. Febr. 1619. latum. conf. AVE. CONR. DAN. SIMMANN in Systemate iurisdictionis supremae in Imp. Rom. Germ. P. II. T. 8. §. 160. p. 315. Sed & Decr. Imp. 17. Nov. 1766.

d) Secundum expressas Leges. R. I. N. §. 66. Rec. Depp. 1600. §. 110. C. O. C. P. III. T. 36. p. 2. 3.

e) Adeo quidem continuum, ut dies feriatu nequaquam detrahantur. de LVDOLF Obs. Cam. T. II. Obs. 117. & 118 in fin.

f) In Obseruationibus Iuris uniuersi, Tomo I. Obs. 369. pag. 799. Sic eodem modo petitiu pro fatalium prorogatione tanquam ineptum atque inauditum reiciebatur olim, secundum tradita *Per-illustris* L. B. de CRAMER in eadem Obs. all. Quod uero postea per Decretum commune fuit mutatum die 17. Iul. 1760. Quod partibus iniunxit, ut intra fatale legitimum uera impedimenta retardati libelli reuisionis indicare debeant, atque sic quoque fatalium prolongationem petere queant.

ex deductione *Ill. Dn.* a ZWIRLEIN. Et certe, uti rectissime monet IDEM, Camera auctoritati suae praeiudicaret, si eiusmodi restitutionem concederet g). Sed quomodo istiusmodi partibus, qui cursum fatalium, iusta ex causa impeditae, nec agere ualentes, praetermiserunt, erit succurrendum? Talem sine dubio restitutionem I. I. desertae reuisionis ab ipsis Reuiforibus, in Iudicio reuiforio ipso petere debebunt. Sed obiciēs forte, talem, per hanc restitutionis denegationem grauatum, introducere posse ipsam *reuisionem* h). Ast facilis est responsio. Nam primo, contra decreta cameralia extraiudicialia, inter quae etiam decreta processus denegatoria referuntur, reuisionem locum habere haud posse expediti iuris est. i) Secundo cum omnis reuifio circa id solummodo uersetur, utrum bene, an male, & hoc quidem, siue ex errore iuris, siue erronea iuris ad factum adplicatione, iudicatum fuerit, liquido adparet, hoc remedium in casu denegatae restitutionis contra lapsum fatalium haud esse adplicabile k).

Du-

g) In *Systemate Processus Imperii*, S. IV. Tit. III. §. 1553. de LVDOLF I. all. & de SCHELLWITZ in *D. de reuisione*, §. 15. p. 25.

h) In genere tamen contra reuiforiam reuisionis sententiam in Camera reiteratam petitionem reuisionis locum habere docet Per-illustris AVCTOR *des Wezlarischen Practicanten*, in adiunctis Litt. VV. & XX. Ubi trina uice petitae reuisionis exemplum.

i) Per ea, quae tradidit supra laudatus *Dn. D. RASOR*. §. 63.

k) Tentatae huiusmodi reuisionis exemplum vid. apud Per-illustrrem L. B. de CRAMER in *Systemate* §. 1577. I. all.

Duplex deinde, ut in rectam redeamus uiam, quoad caput rei, formari potest quaestio. An nimirum contra Reuiforum sententias competat restitutio in integrum? & deinde, an uero illa post latam sententiam reuiforiam demum queat introduci? Primam quaestionem statim negatiue decidendam esse autumo. Restitutio enim I. I. propter noua releuantia concedi solet. Si quis uero sententia confirmatoria in iudicio reuiforio uictus, ob noua dein indicata grauamina restitutionem I. I. peteret, adpellationis argumento, remedii reuifionis adeo analogae, suffultus foret, in qua sc. post sententiam processus adpellationis denegatoriam quoque datur haec restitutio, & secunda admitti solet adpellatio, nouis grauaminibus iisque idoneis emergentibus. An igitur eodem modo hic rest. I. I. concedi possit, uehementer dubito. Nam Reuifores nil agunt, quam ut, perlufratis prioribus actis, & decidendi rationibus, sententiam ferant, an male, uel bene iudicatum fuerit, hincque pro re nata, confirmant priorem sententiam cameralem, uel reformant eam. *Noua* omnia a *reuifione* arcentur, nec ea necessaria esse, mihi quidem uidetur. Contenditur in reuiforio, male fuisse ex prioribus actis iudicatum, & certe Reuifores inuenient, ubi lateant errores, quamuis grauamina quaedam ab aduocatis fuerint omiffa. Propter duplicem enim causam reuifionis remedium, tam ratione iudicum ipsorum, ut huius examinis formidine moti, exacte semper sancteque iudicent, quam partium ratione, ut grauatae huius remedii usu sese tueri possint 1), constitutum fuit

1) Uti rem apprime expriment duo vota, Burgundicum atque Pomeranicum

fuit illud. Ad alteram progredior quaestionem. An post latam sententiam reuiforiam confirmatoriam denuo introduci possit restitutio I. I. Denegato restitutionis I. I. beneficio partes ad reuifionis remedium demum confugere solent m). Nec quoque exempla deficiunt, quod derelicta reuifione restitutionem I. I. petierunt n). Diuinando quasi iam decidit hanc quaestionem b. de LVDOLF, quamuis in facto illam contigisse, ei haud confiterit. o) Accidit tamen postea in causa *Reck* contra *Reck*, cuius sententias atque recessus publicauit Per-illustris Auctor *des Wezlawischen Practicanten*, p) atque secundum LVDOLFI mentem fuit pronunciatum, qui reuifionem petitam non excludere restitutionem in integrum adfirmabat. Non obstat, quod uno remedio extraordinario, alterum alias excludatur. Profligauit enim hoc remediorum extraordinariorum quoad usum practicum figmentum uel praeiudicium, & explofit dudum *illustris* de

nicum, in Deputatione Imperii lata. Vid. de MEIERN Acta Publ. Comit. Ratisbon. 1653. L. IX. §. 20. Conf. R. I. 1532. §. 17.

m) IO. GE. SEELIG in D. de reuifione actorum propter denegatam R. I. I. Marb. 1747. cap. III.

n) Idem, ibid. cap. III. §. 57. p. 47. sq.

o) In Comm. I. Cam. Syst. Sect. II. §. 7. n. 23. Conf. & Ill. CHENR. HILLER in D. de concursu & electione utiliori remediorum contra sententias in supremis imperii tribunalibus latas, PRÆS. GABR. SCHWEDERO Tub. 1717. Cap. 3. §. 8. p. 49. Eadem defenditur sententia apud HASE in all. D. §. 52.

p) In adi. Lit. Rt. p. 124. Plura praeiudicia, nouissimum quoque vid. apud de SCHELLWITZ §. 47. p. 67. 68.

de LVDOLF q). Nec diuerſitas horum remediorum impedimento eſt. Li cet in contradicioriis quodammodo uerſentur, unum ſententiam priorem haſtenus optime, alterum uero erronee latam eſſe, intendens. Sed haec ſimultaneam ſaltim horum remediorum introductionem impedit, non ſucceſſiuam. Agnoui hoc, & noua ſingulari legiſlatione hanc quaestionem decidiſt Camera per decretum commune die 17. Iul. 1760. publicatum r). Iniungit hocce decretum partibus, reſtitutionem I. I. interpoſita iamiam reuiſione petentibus, & a reuiſione ad illam reſilientibus, ut expreſſe (*förmlich*) huic reuiſioni renuncient.

Haec omnia uero de nondum finita reuiſione ſunt intelligenda. An uero pronunciaſta ſemel a Reuiſoribus ſententia, tunc demum reſtitutio ex capite nouorum uere talium, ſaltem quam certiffime nouiter inuentorum, fatali nempe Reſtitutionis nondum forſan elapſo, peti poſſit adhucdum? Quaestio eſt, dubiis implicata haud leuibus. Ingenue illa proponam, & quid forte ad ea reſponderi poſſit, adiungam. I.) reſt. I. I. remedium eſt contra ſententias Camerales, non uero contra ſententias Reuiſorum. II.) Nulla patet uia grauamina ſua ulterius in iudicio reuiſorio deducendi, mox finito. III.) Eſſet reſcurſus a iudice ſuperiore ad inferiorem. IV.) Publica utilitas poſtulat, ut id quod Reuiſores ſtatuunt, uerum ſit ac iuſtum, nec contra illud admittantur noua. Pro- uocant

q) In Comm. I. C. S. Sect. II. §. 6. p. 207. ſeq. & paſſim.

r) Apud de SCHELLWITZ §. 47. p. 71. n. 1.

uocant porro V.) ad L. r. C. ubi & apud quem. Quae lex difertis uerbis, ne inferior iudex aduersus superioris sententiam restitutionem indulgeat, prohibet s). Sed respondeo. Et quidem ad I. Restitutio commune ac ordinarium est beneficium, nec illud, uti iam innui, in ipso iudicio reuiforio, sed apud priorem iudicem, hoc est in Camera denuo introducendum ibique disceptandum foret. Quo ipso secundum sua sponte statim totum corrui dubium. Quod tertium adtinet, eiusmodi recursus a superiori ad inferius rursus iudicium primo non infrequens est in Camera, ubi, si ab interlocutoria mixta adpelatum fuerat, non tota causa ad hoc Camerae iudicium deuoluitur, sed causa principalis ad iudicium inferius remitti solet. Atque deinde, haec restitutionis petitio proprie recursus dici nequit, cum diuersa sint penitus atque neutiquam coniungenda. Hac enim restitutio potius contra priorem Camerae sententiam in effectu petitur. Nisi quod illa reformata, haec quoque reformetur necesse sit. Aliud enim est sententiae reuisionem ex erronea juris adplicatione petere, aliud uero, nouiter repertis documentis, restitutionem in integrum, in diuerso plane iudicio quaerere. Nec id raro accidere solet, ut uno remedio frustra interposito, uictus alio dein remedio efficaciori forsitan uti possit. Ad quartum nil habeo, quod regeram, nisi quod eodem argumento praesumptae dexteritatis aduersus omnia remedia posses insurgere. De

s) Mota partim fuerunt haec dubia a Viris summis, HE. COCCIO de iudiciis reuiforiis, §. 32. TOB. IAC. REINHARDO in progr. de Rev. Goett, 1739. & de SCHELLWITZ in all. D. §. 47.

De quo tamen supra iam dictum fuit aliquid generatim, & infra adhuc erit dicendi locus. Nec quoad V.) me mouet Codicis auctoritas. Longe enim a se inuicem aberrat summorum Imperii Germanici Magistratum indoles & Romana illa praetoris maestas.

Nihil itaque obstat, quominus cum bb. BARDILI t) & REINHARTO u) rest. I. I. etiam contra sententias Reuiforum quoscunque, uel confirmatorias uel reformatorias tam diu admittendam esse censeam, donec aliud statuatur diserte. Si Visitationes & Reuisiones ordinariae uel annuae plane restaurentur, uel & extraordinariae saepius instituerentur, hic casus saepius contingere posset, quo lata iam reuiforia sententia, quadriennium contra sententiam cameralem adhuc curreret, nondumque praeclusum foret. Sed & tunc R. hanc I.I. eis, qui prius agere non ualuerunt, qui nunc demum omni adhibita diligentia, casu fortuito, noua & causam manifeste decidentia documenta haecenus sepulta & occulta nacti sunt, contra sententiam cameralem, per reuiforiam confirmatam, uel reformatam, ante & post executionem, analogice concedendam esse putem. w) Foret tunc qua-

t) In Diff. de Iudicio aulico, Cap. VII. §. 9.

u) l. all. p. 16.

w) Per-illustris L. B. de CRAMER in Obf. 529. & 1111. Remota sc. omni mora, negligentia, culpa, positaeque uera agendi & producendi impossibilitate, ad euitandam certe poenam & damnum. L. B. de CRAMER Obf. 775. T. II. P. II. p. 497.

quadriennium illud ratione initii sui utile, ^{z)} ita ut post centum annos, lata sententia camerali & reuiforia adhuc rite impugnetur. Nec analogiae repugnet, si a posteriori hac reuiforia sententia quadriennii huius initium computare uelles.

§. XII.

Praecipue II.) de reuifione, ipsius scilicet reuifionis, uel contra - uel super - reuifione.

A restitutione I.I. progredior ad reuifionem, idem nempe illud remedium, quod iam supra (§. II.) sententias Camerales directo impugnare dixi, disquisiturus nunc, num illud reuiforias quoque afficiat & non minus quam illas impugnet sententias, siue num aduersus reuifionem cameralem, noua detur, hoc est, reuifionis, reuifio? Quam quidem quaestionem Icti a) *nodosam* adpellant. Liceat igitur mihi nodum huncce Gordium, non tam dissecandi, quam explicandi potius periculum facere. Cum uero multi sint, qui Reuifionem

ultri

z) Arg. L. ult. C. de temporibus in I. R. Conf. GAIL L. II. O. 48. n. 5. Obf. 105. n. 6. LYNCKER. vol. I. Ref. 200. n. 41. HERTIVS T. I. Resp. 464. n. 21. Per-illustris L. B. de SENCKENBERG in Meditat. fasc. II. Med §. 8. p. 427. SEELIG in all. Disp. Cap. II. §. 38 p. 24. Magnif. Dn. D. SCHOEPPF in Disp. de Restitutione R. I. I. §. 20. p. 22. de SCHELLWITZ §. 47. p. 69. L. B. de CRAMER in Obf. 36. 42. 151. 304. 356. 367. 442. 475. 593. 1248.

a) Velut BENDERVS de reuifione. Concl. 37. n. 15. & RODINGIVS L. III. Tit. 67. §. 107. 108. p. 800.

ultimum b) plane remedium definiunt; quod re ipsa etiam in ordine ad camerales sententias est: mox penitus neganda uideatur haec quaestio tota, & reuisio reuisionis extremis quibusdam figmentis, illisue accensenda erit monstris horrendis, ingentibus, quibus omne lumen ademptum. Si praesertim monuero, mihi reuisionem reuisionis non esse, nisi nouam plane post latam a Reuisoribus sententiam, contra hanc denuo interpositam petitamque reuisionem. Talem uero mihi saltem minime uideri reuisionem, secunda uel tertia uice contra eandem quidem, sed plura, eaque diuersa, diuerso tempore decisa, capita continentem sententiam, bis ac ter interpositam. c) Habebis sic potius, uti plures reuera sententias, ita plures quoque successiue interpositas, licet forsitan connexas, reuisiones. Multo minus reuisionis reuisionem adpellari posse credo, si post sententiam cameralem reuisionis denegatoriam; non deuolutoriam, uel desertoriam, quoque, nouam reuisionem denuo impetrare nitatur pars uicta. Vel, si a sententia cautionem reuisoriam sufficientem declarante, iterum reuisio in Camera introduci uellet, quippe quod plane non procederet. d) Nec ea proprie reuisionis reuisio dici posset, si in ipso iudicio reuisorio, propter uoto-

- b) Vti Dn. D. RASOR in all. Disp. C. I. § 9. p. 6. & STEELIG in D. de reuisione actorum propter denegatam R. I. I. Cap. I. §. 37. p. 16.
- c) Perill. L. B. de CRAMER in systemate Sect. X. Tit. III. §. 1576. p. 449.
- d) Vid. Eiusdem *Wenzlarische Beytraege*, P. I. num. 30. T. I. p. 127. sq. & §. systematis 1578. p. 457.

uotorum in illo latorum paritatem, alterius cuiusdam fenatus reuidentis, quorum tres esse, supra dictum fuit, adiunctio ad priorem illum, uti in Camera fieri solet, decerneretur. Haec enim adiunctio fieret ante latam adhuc sententiam reuisoriam. Et sunt multi, qui in casu paritatis uotorum reuisoriorum in honorem supremi iudicii sententiam eius pro ipso iure confirmatam, atque confirmantia illa uota reformantibus praeferenda esse putant. e) Contigit haec uotorum paritas in extraordinaria ista causae Erbmannorum Monasteriensium & sententiae, pro auita illorum nobilitate in Camera die 30. Octob. 1685. latae, f) reuisione, ab Imperio sex g) deputatis Statibus eorumque delegatis, commissa. Qui obseruata paritate illa, re infecta, Wezlaria, ut sumtibus parcerent, discesserunt, totamque causam ad Caesarem & Statum retulerunt. h) Voluerat quidem Imperator, ut nouam Reuisores instituerent deliberationem, iterumque enata paritate uotorum Caesarem sibi adiungerent Commissionem, maiora, uni alteriue parti accedendo, effecturam. i) Contra dicentibus Erbmannis, uni Caesaris Commissario causae suae deci-

e) Arg. L. 38. de Re iudic. BENDERVS de Reuis. Concl. 19. n. 19. sq. & Deductio in ANT. FABRI *Europ. Staats - Canzley* P. XII. p. 712. & P. XV. p. 291.

f) Apud LVDOLEVM in Adp. I. Tomi II, Observ. for. pag. 181.

g) Placito Imp. die 30. Apr. 1706. signato, in *der Staats - Canzley*. P. XI. c. 7. n. 7. p. 335. sq.

h) Ibidem, Tomo XII. Cap. 9. §. 6. p. 703. sq.

i) Ibid. P. XIII. Cap. VII. n. 1. p. 285. sq.

decisionem sic relinquere periculosum arbitrantibus, adiunctionem hance, reuisionis reuisionem inuoluere praetextentibus, k) Electores quidem nouam adiunctionem, l) Principes uero & Ciuitates confirmationem sententiae decreuerunt, m) quam & Imperator postea ratam habuit, sententiamque a qua, suo ueluti suffragio, die 19. Iulii 1709. tam in petitorio, quam in possessorio, actu confirmauit. n) Cum uero hic nulla prorsus lata fuerit sententia reuiforia, reuisionis certe reuifio adiunctioni illius uel & plurium aliorum reuiforum non obstitisset. Ad reuisionem igitur reuisionis, uel si mauis, super- & contra-reuisionem absolute requiritur sententia Reuiforum cameralium, contra quam noua haec interponatur reuifio. Analogiae iuris uel ideo conformis est potius, quam contraria, quia omnia, quae contra sententias competunt remedia, eiusmodi reiterationis & repetitionis subinde capacia sunt. Datur adpellationis adpellatio. o) Datur leuterationis leuteratio siue oberleuteratio. Datur, si non de regula, quandoque tamen nullitas nullitatis. Et dari Restitutionem R. I. I. singulari Dis-

com-

k) Ibidem P. XI. p. 273. P. XII. p. 733. P. XII. p. 316.

l) P. XIII. c. 8. num. 14. p. 372.

m) Num. 16. p. 378. & num. 17. p. 379. *ibid.*

n) In El. I. Publ. P. II. p. 266. & apud LVDOLFVM all. I. p. 184.

o) Imo hodie pro diuersitate instantiarum, contra L. un. C. ne liceat in una eadem lite ter adpellare, *ter* & *saepius* adpellare licet. Conf. b. LEYSERI Spec. ad ff. 654. T. X. p. 465. n. 2. 3.

E

comprobavit Illustris Ordinis Iureconsultorum Tubingenſium Senior, Magnificus D. D. WOLFGANG ADAM SCHOEPPF, Praeceptor & patronus noſter pie deuenerandus. p) Imo, licet regul. ter adpellare non liceat, tertiae tamen reſtitutioni ſuum quoque hic Vir illuſtris calculum dedit, q) eamque non minus ac ſecundam uindicauit, ne camerale quidem ordinatione excluſam. Quia uero generaliter magnam & miram inter proceſſum cameralem Imperii & Rotae Romanae ſimilitudinem & conuenientiam r) mihi obſeruare licuit, adeo ut is ex hoc permultum lucis & illuſtrationis foenerari queat, non poſſum non, quod poſt tertiam adhuc ſententiam Rotalem, noua ad probandam teſtibus laeſionem dilatio executionis conſeſſa fuerit, teſtem producere PAVLVM AEMILIVM. s) Reuifioni aduerſus ſententias camerales competenti quod nam ſimilius, & maiori cum ea analogia ſtipatum datur remedium, quam ſupplicatio contra ſententias Ceſſiffimi Iudicii imperialis Aulici? t) Iam uero huius ipſius ſupplicationis datur ſupplicatio. Quamuis enim proceſſus ſummorum

p) Tub. 1743. Cui etiam ſubſcribere tum HASE in D. de R. I. L. remedio ordinario, Giellae 1743. §. 51. p. 53. & perill. L. B. de CRAMER in Obl. 356. T. I. p. 767.

q) §. 35. p. 38.

r) Conf. quoque O. C. Ratiſb. 1508. Tit. I. §. 19. de differentia quadam proceſſuum illorum agens.

s) In Decif. aureis cauſarum ſacri Palatii apoſtolicum, quas edidit P. GRANVTIVS, L. I. Dec. 285. n. 5. p. 74. 75.

t) I. P. W. O. Art. V. §. 54. Capit. Cacſ. Art. XVII. §. 2.

morum Imperii tribunalium peritissimus IOANNES DEK-
HERRVS, u) sine dubio L. 5. C. de prec. imp. off. aucto-
ritate motus, ad quaestionem hancce, an detur supplicatio
supplicationis? indignabundus responderit; *cur non in tertium
usque coelum!* eam tamen in hac terra accidisse & reuera
anno 1671. contigisse testis est longe grauissimus de UR-
FENBACH. w) Cur uero ad consequentiam trahi non posset
illa, sufficienti ratione haud docuit Celeb. I. A. HOFFMANN. z)
Quae licet ita sese habeant, diutius tamen dissimulare, &
tacito pectore comprimere amplius non possum, contrarium
plane huic reuisioni textum Ordinationis cameralis, aa) in
Concepto bb) retentum, sic diserte praecipientem,, *Da die*
,, *Ur-*

u) In Consultat. for. L. II. Cap. 23. p. 202.

w) De Iud. Imp. Aul. Cap. 23. sect. 4. pag. 269-272. I. I. W. de
NEVMANN de W. in principiis Proc. Iud. Aul. hod. 4. 1747.
C. VIII. §. 47. p. 82. scribit. „Reuisio reuisionis concedi non
„solet, utut si prior sententia reformata, haud inique concedere-
„tur: Plane extraordinarium erat, quod 1671. in uentilata coram
„Iudicio aulico causa, Vergogne inter Raphaelem & Neapoleo-
„nem Spinolas superreuisio per delegatos consiliarios intimos in-
„stituta, alleg. sc. apud Vffenbachium loco. Annotator ad illa
„principia, L. B. BURCARDVS de KLER scribit ad d. lit. b) §. 47.
„unicum tamen memini exemplum admittae in Iud. Imp. Aulico
„reuisionis ob apertissimam iniquitatem, qua per unius partis
„sub- & ob-reptionem, supplicanti prima uice hoc beneficium
„denegatum fuit.

z) In der teutschen Reichs-Praxi P. III. §. 2674. p. 499.

aa) P. III. Tit. 53. §. 7.

bb) P. III. Tit. 63. §. 15.

„*Urtheil durch die verordnete (Reuifores) bekräftiget; soll es dabey ungeweigert ohne weiter appelliren, suppliciren und reuidiren bleiben.*“, Id quod etiam summorum imperii tribunalium auctoritas sibi postulat iure meritoque, & in quod omnes proinde auctores uno ore conclamant. Quam certum uero & inuictum hic textus argumentum praebet, quod sententia Reuiforum confirmatoria, (*da die Urtheil durch die Verordnete bekräftiget*) nulla amplius reuisione impugnari queat: tam claro uelut & perspicuo argumento, si quidem contraria est contrariorum natura, reuisio reuisionis illo permittitur, contra Reuiforum sententias, si scilicet sententiam cameralem non confirmarunt, sed reformarunt. cc) Est hoc argumentum a distinctione sententiae reuiforiae in confir & reformatoriam in uerbis textus ipse fundatum, eo ualidius, quo maior & notior est sententiae mere confirmatoriae add) auctoritas, contra quam, ne dicam reuisionis reuisionem, ne ipsam quidem adpellationem facile & lubenter concedunt leges ee) atque doctores. ff) Nec poteris excipere legem
ibi

cc) Conf. omnino Ill. 10. STEPH. PUTTER in introductione in rem iudiciariam Imp. 4. 1752. P. I. L. II. S. II. Cap. XI. §. 477. 478: nota (c)

ad) Et inhaesuae, L. B. de CRAMER in Obs. 639. T. II. P. II. p. 145. Obs. 1195. (a) Tomo IV. p. 593. sq. & Obs. 1271. p. 820.
ee) L. 1. C. quando prouocare non est necesse,

ff) 10. CHRIST. SCHROETER in D. de sententia confirmatoria, Iena 1708, th. 18, 19, p. 24. 25, 26. Add. de LVDOLF p. 137, 152, 236,

ibi unum casum, confirmationis nempe sententiae ponendo, ideo alterum reformationis, non statim excludere voluisse. Nam & hunc casum iam antea adduxerat ordinatio, gg) uerbis: „im Fall, da die Urtheil aus übersehen des Richters als nichtig, oder ungerrecht reformirt würde.“ Hic enim non uti antea omnem ulteriorem remouet reuisionem, sed nonnisi redditionem pecuniae succumbentiae & executionem praecipit., *dass im Fall ꝛc. da die Partbey ihr evlegt Geldt wieder zugestellt, und mit der Execution solcher reformirten Urtheil an dem Cammer-Gericht wollenfahren werden solle,* „ si scilicet nouam uictus haud interposuerit reuisionem, uel si, uti hodie talis reuisio effectu suspensiuo non gaudeat.

Finge nunc, extitisse quendam bis uel ter in suo territorio, iterumque dein etiam in Camera uictorem, sinistro autem rerum suarum euentu nunc in reuisorio uinci. Anne hic cadat, uno ictu damnatus? Anne huic nullum amplius auxilium, nulla amplius defensio, nullumque iuris remedium competat? Foret hoc summae istae in iudiciis inter partes obseruandae aequalitati e diametro contrarium. Quod uni parti iustum, id alteri aequum esse uidetur. Quis ei contra quem alter omnia remedia perduxit, nunc inuerso casu, nullum plane concederet? Fac eum supplicationis supplicationem, & reuisionem reuisionis instituire. Certe non bis supplicabit, non bis reuisionem urget ille. Fac eum in hac sua noua reuisio-

ne

gg) P. III, Tit. 53, §. 4.

E 3

ne succumbere denuo, & tunc ei iure secundam denegabis supplicationem & reuisionem, quae tunc demum eius quoque intuitu erit ultimum. Quod semper uictor nullo antea opus habuerit remedio, in eius odium uon sine iniuria retorqueres, qui tali nunc adeo eget. Nulla ei obstat lex prohibitiua. Fauet ei potius textus, nouam reuisionem saltem contra confirmatoriam prohibens. Fauet ei analogia omnium iterabilium iuris remediorum. Fac tandem, qui forsan causam istam satis superque ter quatuorue cognitam fuisse excipis, celsissimam Cameram causam quandam in prima statim instantia, sicuti immediatorum, Statuum, Principumque ipsorum causae, austregarum expertes tractantur, iudicasse, reuisiones autem deinceps fecus pronunciaffe, sicque utramque partem sententiam quandam pro se habere. An non hoc casu aequum, si non necesse plane, illam causam noua reuisione, si aliud grauato non suppetat remedium, recognoscere? Alias enim Status immediati mediatis, in causis praesertim simplicis querelae, deterioris essent conditionis. Hic nec instantiarum multitudo, nec trium sententiarum conformitas obstat, contra quam Camera adpellationes quidem ad se, at non etiam reuisionem sententiarum recipit & admittit hh). Sunt quidem multi & magni
Iure-

hh) GAIL L. I. Obs. 72. n. 3. MYNSINGER Cent. I. Obs. 15. ab ANDERN in iurisprud. publ. & priuata, L. II. tit. 20. §. 4. Consult. Dn. D. RASOR in all. D. C. I. §. 14. p. 10. 11.

Iureconfulti, qui eam nihilominus generatim negant ii), uel certe solo interpretum beneficio dari concedunt, quorum tamen dubiis & argumentis iam supra generatim respondi, ueluti, quod leges Imperii nullam huius superreuifionis mentionem faciant, expressam puta, quod reuiforum sententias simpliciter per Cameram executioni demandari iubeant, quod nulla ulterior grauamina exponendi uia pateat, de nouo tamen aperienda, quam primum noua conceditur reuifio, quod ultimum fit remedium ista reuifio, quod ad sententias camerales tantum pertineat, quales tamen etiam reuiforiae suo modo sunt, quod facilius dari non debeat, & quae hisce similia sunt, partim gratis supposita, partim non satis concludentia. Quod Caesareis Commissariis ac Statuum delegatis, superiores, qui priori sententiae concipiendae non interfuerint, quales reuifio desiderat, non dentur, sique talis superreuifio exitum tamen habere non possit, licet admitteretur, uel ideo ueritate aequae ac releuantia destituitur omni, quia Caesar & Imperium aliis semper Reuiforum, uel Senatibus, uel & Classibus, uel & personis modo talem reuifionem reuifionis committere uel ad eam delegare potest. Nec reuifio, supplicationis ad instar, praecise superiorem, effectumque deuolutiuum desiderat. Interim minime negauerim, optandam

- ii) GAIL L. I. Obf. 157. TEXTOR ad R. I. N. Disp. XIII. §. 47. & in praxi Iudic. P. I. c. 12. n. 142. HERTIUS in D. de reuifione in Cam. Imp. §. 30. LVDOLF S. II. §. 7. n. 12. p. 231. n. 8. & P. I. Obf. 54. SEELIG Cap. I. §. 28. p. 17. Ill. ESTOR in Processu, §. 968. de SCHELLWITZ §. 47. p. 67. BOCRIS Obf. circa adpell. & Rec. ad Comit. Sect. 3. Ill. MOSERVS in der R. H. Raths-Praxi, pag. 391. §. 3.

dam esse talem legem publicam scriptam, qua secundum hucusque deductam iuris & remediorum analogiam in reuiforio succumbenti diferte, (quod unum adhuc deest, & iam BENDERVS ii) optauit), additis his uel illis cautionibus atque restrictionibus, noua permetteretur reuifio. Fundaretur haec lex in aequiore & communiore maximorum Iureconsultorum sententia, quae maximi in hisce ponderis habenda & momenti. Inprimis uero illam constanter & fortiter defendit illustre Ictorum Almae huius Eberhardinae Collegium, inde a IOANNE LVDOVICO BENDERO, qui illam primo in Disf. hic anno 1687. praefide ENZLINO proposuit, & deinde in tractatu suo inde exorto, ipse postea Camerae Imperialis Assessor factus, uberius enodauit, adfirmantium antesignanus kk). Quem e nostratibus secuti sunt MARTINVS RVMELINVS ii), CHRISTOPHORVS BESOLDVS mm), NICOLAVS MYLERVS ab EHRENBACH nn), WOLFGANG ADAM LAUTERBACH oo), ERNESTVS THEOPHILVS MAYERVS pp), WOLFGANGVS ADAMVS SCHOEPPF qq) & FRIDERICVS GVILIELMVS
TAFIN-

- kk) In Concluf. Decis. Praet. de Reuifione XXXVII. num. 15-100.
 ii) Ad A. B. P. II. Disf. II. th. 30. p. 364.
 mm) In thefauro praet. v. Reuifio p. 225.
 nn) Apud RVMELINVM ad A. B. all. I.
 oo) In noua Collezione Cons. Fac. Iurid. Tub. Vol. III, Conf. 287. II. 19. sq. & num. 25. sq.
 pp) In D. de R. I. I. contra sententiam, th. 24.
 qq) In alleg. D. §. 34. p. 28.

TAFINGER ss). Quibus e Cameralibus RODINGIVS tt) & BOCKENUM), e reliquis uero potissimum addi merentur, IO. LIMNAEVUS in I. Publ. L. IX. Cap. 2. n. 219. OLDENBURGER in Linnæo enucleato, P. 4. c. 37. BERGER in Occ. Iuris L. 4. tit. 28. §. 9. n. 2. PHIL. REINH. VITRIARIUS & IO. FRID. PFEFFINGER in Institut. I. Publ. L. IV. tit. 6. §. 40. 41. Tomo IV. p. 612. 613. NIC. HIER. GVDNLING in Diff. de transmissione aſtorum Cap. III. NIC. CPH. LYNCKERVS de grauamine extraiudiciali cap. 9. p. 2. n. 17. ERN. FRID. SCHROETER in D. de reuif. aſtorum, poſ. 10. & IO. ANDREEAS HOFMANN all. I. P. III. §. 2405. p. 213.

Nec in ſcholis Iureconſultorum modo tractata fuit haec diſceptatio, ſed in ipſis quoque rerum argumentis, & publicis conuentibus agitata fuit illa. Proponebatur ſcilicet affirmatiua quaestionis haſtenus tractatae in conuentu Collegii Electoralis, capitulationem CAROLI VII. condentis, die 2. Ian. ad §. 15. Articuli XVII. a Legato Brandeburgico, & licet nihil ſtatim ibi decideretur, nec monitum iſtud Capitulationi inferendum eſſe decerneretur, omnes tamen & ſinguli Electores eam diſcuſſione & deciſione comitali, tam indigam, quam dignam agnovere. Hunc in ſinem nihilominus ut litteris Electorum colle.

ss) In Institut. Iuris Cam. laudatissimis, S. X. tit. VI. §. 1061. nota y) p. 896.

tt) In Pand. Cam. L. III. tit. 61. §. 108. p. 800.

uu) ad BELVMI Tit. 79. num. 22. p. 801.

collegialibus, dictum articulum adtinentibus referatur, con-
 cluserunt. Licet uero hoc xx) factum fuerit, nondum tamen
 omnis decisionis comitalis spes penitus decollauit, sed potius
 eo magis reuiuiscit illa, quo minus hodie odiosa yy) esse debe-
 ret ipsa reuifio. Totam illam propositionem, hunc articulum
 concernentem, una cum uotorum recensione generali, atque
 concluso, sic, prouti illam rerum feriem apud Illustres I. D. de
 OLENSCHLAGER zz) & I. I. MOSERVM aaa) inueni, huc
 reddere non morabor. „*Dieveilen aber* (proponebat Legatus
 „Brandenburgicus) *ein Zweifel entstanden; Ob Victor in priori-*
 „*bus instantiis & victus in Reuifionis instantia zum Remedio Reui-*
 „*fonis oder Supplicationis eben so wol annoch zu lassen, und gleich-*
 „*wol, was einem Theil billig ist, dem andern nicht weniger um so*
 „*mehr gegönnet werden mus, als insonderheit der, so in etlichen*
 „*instantien bereits obtiniret hat, mebreve Praesumptionem iuris,*
 „*als der nur in letzterem Iudicio Reuifionis gewonnen, für sich hat;*
 „*aber dieses reuifio reuifionis nicht genennet werden mag, wo der*
 „*eine Theil dasselbe Beneficium noch nicht gehabt hat; als sollen*
 „*und wollen wir bey unserem Reichs-Hof-Rath sowol, als Reichs-*
 „*Cam-*

xx) Vid. litterae collegiales ad d. art. XVII. apud III. MOSERVM ad
 Capit. Caroli VII. P. I. p. 8. sq.

yy) Capit. Caes. A. XVII. §. 2. & 10. ANDR. HOFMANNI Reichs-
 Praxis P. III. §. 2405. p. 213. n. p)

zz) In der Geschichte des Interregni nach CARLS des VI. Tod. P. IV.
 p. 492.

aaa) Ad Cap. Cir. VII P. III. p. 253. sq. Add. Ej. R. Hof-Raths-
 Praxis. L. VII. cap. 9. § 4. p. 391.

„Commer Gerichte, Acht haben, das dieser Erklärung gemäs,
 „fortbin ein jeder Theil wie der andere; zu der Reuision oder Sup-
 „plication, iedoch ieder nur einmal, auf beschreibendes dem iungern
 „Reichs-Abschied gemacsst Ansuchen zugelassen werde.“ Omnia
 Electorum suffragia eo redibant, ut quaestionem ipsam deci-
 sione indigam, atque a Comitibus Imperii expectandam repu-
 tarent. Sic omnes ferme huic primo Electoris Treuirensis uo-
 to re ipsa accessere, quod ita „Chur-Trier: Die in diesem vor-
 „trefflichen uoto an Hand gegebene Entscheidung eines höchst wich-
 „tigen Iustiz-Puncts durch ein förmliches Gesetz qualificiret sich
 „lediglich ad Comitibus, allwo billig eine gemessene Vorsehung zu
 „thun, das schwache und arme Partbeyen auch ein End ihrer
 „Processen erleben.“ &c. Legatus dein Saxonicus in suffragio
 suo ita censuit, „das deshalb dem Churfürstlichen Collegial-
 „Schreiben das nöthige insinuirt werden könne.“ Accedentibus
 postea huic uoto plurimis suffragiis sequens condebatur Con-
 clusum: „Das es bey dem Text sein Bewenden haette, dahingegen
 „die Nothdurft in dem Collegial Schreiben an künfftige Ihre Kay-
 „serliche Maiestaet zu bringen seye.“

Diximus haecenus saltem de partibus nouam reuisionem petentibus. Annon uero ipse iudex, qui reformatam a reuisionibus sententiam tulit petere possit eiusmodi reuisionem? quaestio est, quae sine dubio hic moueri debet. De qua tamen apud omnes altissimum deprehendi silentium. „Cum enim reuifores Statuum sint deputati, (utor uerbis Per-illustris L. B. de CRAMER) bbb) fieri potest, uelut
 quan-

bbb) In Syst. §. 1525. p. 431. & §. 1583. p. 457.



„quando in causis Dominorum suorum aliquando succubuerunt, ut affectibus contra Assessores agitentur. Recusari hinc possunt reuifores & ex similibus aliis causis, tam ab ipso Camerae iudicio, quam ab una partium., Cumque porro euidens sit, quod remedium reuifionis quandoque priores iudices aut negligentiae aut imperitiae ecc) accuset, fieri omnino posset, ut uel praesentes Camerae Ad assessores & Senatus, uel ipsa Camera iudicandi dexteritatem atque iustitiam per nouam sententiae reuiforio- confirmatoriae impugnationem uellet defendere. Id uero per communem uiam haud procedere posse penitus persuasum habeo. Ex generali enim regula, iudicem desinere esse iudicem, quam primum semel tulit sententiam, uti etiam ex eo, quod remedium reuifionis tantum ipsis partibus comparatum sit, quamuis & reuifio generaliter propter iudices instituat, patet, iudicem contra talem sententiam reformatoriam formaliter haud posse petere nouam reuifionem. Et deinde adparent quoque prioris iudicis tam referendi modus, quam decidendi ratio, cum priores relationes camerales reuiforibus in aetorum reuifione semper ad manus esse debeant.

An uero tertius interueniens in iudicio reuiforio, denuo post latam sententiam reformatoriam, petere poterit reuifionem? si damnum ex ea uel grauamen quoddam ei immineat. Generatim uero interuentionem in reuiforio locum habere negauit Ill. D. D. CANZ ddd) quod & de reuifione
Ca.

ecc) In Syst. §. 1512. p. 428. & 1516. p. 429.

ddd) In D. de ad citatione tertii ad litem. Tub. 1759. §. 42. p. 46.

Camerali tradunt de LVDOLF eee) & IO. PAVL. BESSERER. ff) Adhaesionem tamen & eam quidem per se subsistentem concedit de SCHELWIZ. ggg) Optime uero talis interueniens ad separatum ablegaretur. hhh) Si tamen forte in specie per sententiam cameralem, uel reuisionem grauatus esset tertius quidam, ei commune reuisionis beneficium denegari certe non posset, ob generalitatem textus iii) & praeiudicia Cameralia. kkk)

§. XIII.

Nec non III.) de recursu ad Comitā.

Remoto iam supra syndicatu (§. IX.) nihil aliud superest amplius quam *Recursus ad comitia*, decantatus ille hylas! Hunc autem remedijs contra sententias Reuisionum cameralium adscribere uelle, eo maius paradoxum inde uidebitur, quo minus is I.) contra ipsas sententias camerales satis adhuc

eee) C. I. C. S. Sect. II. §. 7. p. 241. n. 25.

fff) In D. de interu. post sent. Giff. 1744. §. 25. p. 39.

ggg) §. XI. p. 20. 21. 22.

hhh) LVDOLF all. I. & LYNCKER in Decis. 1145.

iii) Ord. Cam. P. III. tit. 53. wo einige Parthen &c.

kkk) Apud RODINGIUM L. III. Tit. 61. §. 3. & SCHELLWITZIUM all. I. n. i) p. 22.



adhuc fundatus & legitimus atque ordinarius remedium esse creditur; quo minus is II.) certis solemnibus, formalibus scilicet & fatalibus gaudet, uagus ueluti & in omnes formas adhuc mutabilis, quo certius III.) est, sententiarum cameralium reuisionem ab ipsis comitiis & comitiali auctoritate institui & peragi, consequenter a comitiis ad comitia *recurri* non posse; & quo clarius denique IV.) leges nostrae hodiernam eius frequentiam intermissis hucusque reuisionibus & uisitationibus adscribere sicque tantisper tolerare modo uidentur. a) Quae omnia tamen non obstant, facile negatio remouenda. *Primo* namque, cum ipsam praxin & obseruantiam recursus negare nemo queat, in aprico positum arbitror, dari posse remedia contra sententias sine expressa quadam lege, & legali quadam introductione, ideo tamen minime indistincte reprobanda. Praesertim cum recursum & antiquissima Germaniae praxis b) & inseparabilis utriusque *legislatoriae & iudiciariae* supremae potestatis nexus c) admo-

a) Cap. Caes. Art. XVII. §. 3. „auch denen in letzteren Zeiten, bey „*Ermanglung des remedii reuisionis ad Comitia genommenen recursibus* „*Ziel und Maas zu setzen ist,*“ conf. Comment. III. *AYERRI* ad h. l. in Opusc. VIII. Tomo II. p. 1. sq. de restricto, non sublato R. ad C.

b) *HOFMANNI Reichs-Praxis* §. 2771. n. v) & w) P. III. p. 613.

c) Conf. *ARENTINI KÖRPERN Consortium Imp. & Statuum* in potestate legislatoria & iudiciaria, genuino fundamento recursus ad Comitia, quod Halae 1756. sub praesidio *FLOERCKIANO* defendit.



modum suffragetur, & comitia ipsius *reuisisonis* exemplo & argumento *iudicia* quoque sint, nec eorum iustitia, sine iniuria, politica tantum & statistica (*Staats-Iustiz*) d) dici queat. Nec *secundo* tollere eum, sed ordinare modo, determinare, & curate constituere, atque adeo uel liberum eum relinquere, uel certis formalibus circumscribere promisit Imperator. Reuifores *tertio*, quantumuis ab Imperatore & Statibus constituantur, atque comitorum auctoritate officio suo fungantur, nec tamen ideo tota & ipsa comitia sunt, ut proinde nec a constitutis ad constituentes, e) nec a parte ad totum recurri possit. Idem illud etiam eodem modo de Camera uerum esse iam supra dixi, & tamen obtinuit hucusque recurfus, contra eius sententias admodum frequens; Verbo f): certos Status Reuifores deligendo Imp. & Imp. sese potestate sua iudiciaria suprema ita penitus abdicasse dici non poterunt, ut nulla ratione, nulloque plane casu ad eos, tanquam supremos etiam & ueros iudices, non legislatores saltem, recurri possit. *Quantum* illud certum quidem est, cum uero unius rei plures esse possint causae, vix sperandum erit, quod

d) Vid. CAESARINI FVRSSTENERII REPUBLICANI, *Ichti, treu-vatterländische Gedancken über einige Stellen der neuesten Wahl-Capitulation 8. Frj. und Leijzig 1766. p. 232. & perill. L. B. de CRAMER in denen Wezl. Nebenstunden, P. XXXIII. n. 10. p. 144.*

e) Exemplum *Zwingenbergicum* vid. in *der Reichs-Fama P. II. p. 359. sq. 453. sq.*

f) Contra Cap. Caes. Art. XIII, §. 6.



quod reuisionum g) restauratio omnem prorsus sit impeditura recursum, qui potius, etiam contra sententias Reuiforum tum certe locum habere debet, cum citra dubium & secundum ipsas leges sententias camerales, cum *impedit*, tum *impugnat*, veluti si *dubia* h) circa legum Imperii & constitutionum publicarum mentem occurrant, sine quorum resolutione caussa nec *decidi*, nec *decisa reuidevi* poterit. Hoc enim casu, uti Camera, ita quoque reuiforium i) iudicium, caussam ad Comitiam deferre, partes huc ablegare atque remittere, haecque sic etiam eo recurrere debent. Quod si itaque quis se dubiae legis adplicatione sententia camerali grauatum & Cameram potestatem suam iudiciariam *interpretando* k) legem istam paulisper excessisse, putet, & reuisionem ideo interponat, in qua tamen prior illa sententia confirmetur, id quod in reuiforio, uel ideo fieri & facile contingere posset, quia haec saltem, an bene, an male fuerit iudicatum, disquirat, & isto casu nulla erronea iuris adplicatio subsit, tunc tali reuifio

g) Legatur omnino IO. HE. GOTTLOB de IVSTI *Abhandlung von der Zustucht zu dem Reichstag*, recursus ad Comitiam *genannt*, in *desen historisch und iuristisch S.chriften*, I. Band. IV. St. pag. 200. 211. qui regulam sic struxit, quod in omnibus illis caussis Recursus obtineat, in quibus Reuifio & Visitatio locum, sibi uindicanat. p. 210.

h) L. ult. C. 1. C. de LL. & I. P. W. O. A. V. s. 55. 56.

i) III. AYRER all. I. §. XXIV. p. 362. sq.

k) III. IO. STEPH. FÜTTER in *Diff. de iure & officio summorum Imp. tribunalium circa interpretationem legum Imperii*, Goett. 1758, habita, per totam & §. 69. 70, p. 66.

uiso *recursum* 1) ad comitia denegare nemo poterit, authenticam legis illius, uere dubiae, *explicationem*, ante eius *adplicationem* rogaturo. Quamuis enim Reuiforibus & Visitatoribus non omnis prorsus, leges, potissimum iudiciarias, ferendi & authentice interpretandi potestas, ab imperio m) ueluti commissa, negari queat, eam tamen ultra hanc commissionem, ad omnes omnino leges, publicas & priuatas, & ultra modum ordinemque iudicarium extendere §. *gaudeant* n) e diametro repugnaret. Possent sententia ferri a Camera, ceterum iuri omnino & aequitati consentanea, & in reuisione confirmari, sed tamen nihilominus uerum aliquod & liquidum, siue praesens, siue futurum grauamen, huic uel illi Statuum classi commune o) continere, ob quod grauatae parti sine dubio ad comitia recurrere liceret, grauamen illud certe uel moderatura, uel abolitura. Reuiforibus utriusque religionis in partes euntibus, idem hic recursus ad Comitia plane necessarius, & sola amicabile compositio, non attenda uotorum pluralitate, ibi possibilis erit. P) Quod denique hic recursus a pari-

1) Quem modo laudatus PÜTTERVS all. I. §. 72. p. 67. omnium iustissimum uocat atque ad Collegia, Corpora, & Circulos usque extendit.

m) R. I. 1555. §. 110. sq.

n) §. 2. Art. V. I. P. W. O. add. Cap. Caes. A. II. §. 5.

o) Ill. GE. LVD. BOEHMERI D. de grauamine Statuum Inip. communi, Goett. 1751. & Perill. L. B. de CRAMER in Syst. §. 1597. p. 455.

p) I. P. W. O. Art. V. §. 50. & 52. Ill. PÜTTERVS all. I. §. 50. 65. p. 51, 64. plenissime.

a paribus Reuisorum uotis ad ipsa rursus Comitia actu iam obtinuerit, caussa *Erbmannorum* Monasteriensium, supra iam adducta, fatis superque comprobatur.

Et possent in eiusmodi casibus Comitia eo deinceps uel & leuiori modo progredi, quem e. gr. in caussa *banni* obseruandum esse sancit Capitulatio Caesarea. q)

Nullum uero alium, quam praecise ad Comitia, patere recursum, uel sola & seuera illa omnis ad Curiam Romanam in caussis ciuilibus & saecularibus recursus prohibitio, r) docet,

Quid denique Reuisoribus ipsis, post confirmatam, uel reformatam semel sententiam cameralem, in *propriam* suam sententiam reuisoriam liceat, disquisitione opus uix habet.

§. XIV.

Necessitas & spes decisionis comitalis.

Proposui haftenus, quae contra sententias Reuisorum cameralium locum habere possent remedia, potissimaque adduxi argumenta, quae in utramque partem faciunt, non eo certe sine & animo, ut paullo audacior quidquam deciderem ipse, uel talia priuata & scholastica opera definiri posse putem, probe

q) Art. XX. §. 4 5.

r) Ill. IO. GE. ESTOR Diff. & libellus de adpellatione ad Curiam Romanam Ienae 1741. & 1751. Perill. L. B. de CRAMER Obseru. 488. & P. I. num. 9. *derer Wezlar. Nebenstunden*, P. XLIII. n. 4. atque P. XLIV. n. 1. p. 1-113.



probe gnarus, atque a plerisque etiam scriptoribus edoctus, legislatoria & comitali Imperatoris & Imperii auctoritate absolute hic opus esse. Quae nunc non solum, uti huc usque semper optanda, sed & instante a) iam proxime visitatione & reuisione plane speranda b) est. Quod & absoluta necessitas exigere uidetur, & omni modo promouere, clementissime promisit Augustissimus IOSEPHVS II. Omnia scilicet ea, quae ad restituendas quantocyus deputationes Imperii ordinarias, consuetas visitationes & reuisiones camerales, conseruationem Iudicii Cameralis, institutos in subsidium deficientis remedii reuisionis ad Comitiam recursus, horumque limites, extraordinarias secundum Rec. Imp Nouiff. habendas deputationes, & generatim ad effectum deducenda huius conclusa, pertinent, *regulatiuum*, nouumque adeo Imperii conclusum postulant. Verbis enim Capitulationum c), *Und inmassen*

- a) Ultimum 26. illorum punctorum, quae deliberationi comitali, circa Visitationem Cameralem, Ratisbonae iam A. 1764. exposita fuisse, in der neuen Staats-Canzley, P. XII. Cap. IV. num I. p. 35. 36. ideo hoc monet „ werden, wann einmal die Cameral-Visitation „ ihren Fortgang gewinnt, verschieden Anfragen, und bey der Reichs- „ Versammlung zu erörternde Berathschlags - Puncten vorfallen, die „ keinen langen Verschub leiden, dahero, wenn anders dieses löbliche Wirck „ in seinem Fortgang nicht gehindert werden soll, ee nöthig seyn wird, „ daß die Comital-Gesandtschaften sich mit General-Instructionen versehen, um in workommenden Fällen davon Gebrauch zu machen, um ohne „ weitere Anfrage zu denen vorfallenden Materien zu schreiben.
- b) Non obstante eximia illa, de qua singulari Programme Goettingensi anno 1757. egit Illustri. FVTTERRVS, normarum iuris publici generalium difficultate.
- c) Articulo XVII. § 3. p. 74.

G 2



„sen Wir uns bereits hieoben im zwölften Articul anbeisbig ge-
 „macht haben, die ordinarie Reichs-Deputation bald möglichst her-
 „zustellen, mitbin auch die sonst gewöhnliche Visitationen und Reui-
 „sionen des gedachten Kayserlichen und des Reichs-Cammer-Gerichts
 „hinwieder in Gang und Ordnung zu bringen, Uns aeufferst an-
 „gelegen seyn lassen werden, inzwischen aber die Aufrechterbal-
 „tung des gedachten Cammer-Gerichts, und der heilsamen Lustiz
 „keinen Verzug leidet, auch in denen letzteren Zeiten bey Ermang-
 „lung des Remedii Reuisionis ad Comitia genommenen Recursibus
 „Ziel und Maas zu setzen ist „haec in noua plane parenthesi,
 „nouissima inserta legimus „Als weswegen wir zu einem künff-
 „tigen Reichs-Schluss, und einem zu Stand bringendem denen Reichs-
 „Satzungen und der heilsamen Lustiz gemäßen Regulativo alle Beför-
 „derung beytragen wollen „retentis nihilominus & mox subiun-
 „ctis sequentibus „wie dann auch ferner der jüngere Reichs-Ab-
 „schied §. 130. und folgenden zu Tag leget, dasz hievinn mittels
 „des Inhalts desselben beschlossenen Extraordinarie Reichs-Depu-
 „tation, zu helfen; als wollen und sollen wir daran seyn, dasz so-
 „thanem Reichs-Schluss die würckliche Folge fordersamst gelei-
 „stet werde.“

Quid igitur & meo themati hinc sperare liceat, atque an-
 forte P. VIRGILII MARONIS d) effatum, quod de fortuna
 praedicauit, de reuisione itidem ualeat:

Multos alterna reuifens

Lusit, & in solido rursus fortuna locauit
 sua sponte patet.

Quod

d) Æneid. L. II. v. 426.

Quod thema meum uel ideo *exemplis & praeiudiciis*, quae uocant, exornare uel confirmare mihi haud licuit, quia inde ab anno 1582. uel certe iam per 166 annos e) nullae amplius sententiae actu reuifae fuerunt, & quia anteriorum Visitationum atque Reuifionum acta, huc usque nondum publicae luci data f) fuere, e quibus tamen illa unice desumi potuissent.

Ad extremum uero, si & meam B. L. desideret coniecturam, certe non auguror, *omnia* prorsus *remedia* contra sententias Reuiforum, cuiuscunque deinceps nominis illa forent & indolis, unquam denegaturam fore comitalem decisionem, tum quod *infirmis* in casu supra g) tradito obstaret *aequitas*, tum uero etiam, quod illud in eis modo casibus fieri posset, in quibus ad minimum *trina* praecessit *cognitio*, cuius tamen omnes illae causae immediatorum necessario expertes sunt, in quibus aufregae cessant. Nam & *Potentissimus* REX BO-RUSSIÆ, qui celerrimam tamen esse uoluit suam iustitiae administrationem, *trinae* causarum recognitionis necessitatem perspexit, introduxit, & tum demum omne plane remedium, etiam in casum reformationis h) duarum sententiarum conformium, hisce uerbis i) prorsus exulare iussit „*Ueber die drey Instanzen soll keine weitere Instanz, folglich auch kein weiteres reme-*

e) R. I. N. §. 132.

f) *Cammergerichtliches Staats-Archiv V. Theil, Vorbericht, S. 6, 53. & 58.*

g) §. 12. pag. 37.

h) *Supra* §. 12. pag. 37.

i) *In Projecto Codicis Fridericiani Marchici, P. II. Tit. 17. §. 8.*

„remedium (auch nicht unter dem Praetext einer insanablen Nulli-
taet) verstatet, sondern die dritte Sentenz, wenn sie auch refor-
matoria deyer beyden vorigen Sentenzen ist, schlechterdings pro
iudicato gehalten, auch nicht weiter gefragt werden, ob recht oder
unrecht geurtbeilt worden.“

Id quod salutare omnino & tandem aliquando necessa-
rium est, ut scilicet semel statuatur, quod & quando ultimum
quoddam iudicatum absolute & civiliter iustum haberi
debeat.



Tübingen, Diss., 1763-67

ULB Halle

3

005 847 915



VD18

TA → OL





8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

f. 1273.

3, 4. 58.

1767/6

25

DE
EDIIS
VERSUS
SENTIAS
CAMERALIUM
ORITATE
CTORUM ORDINIS
MVNERE
ORIS IURIS
ORDINARI
E SIBI DEMANDATO
VTABIT
S DANIEL
MANN
UTRIUSQUE DOCTOR
ONDENTE
OPHORO HOFAKER
CANDIDATO

Aprilis MDCCLXVII.

TERIS FVESIANIS.

